This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

L-a 85,50

Harvard College Library

FROM

By exchange

Cover

La 35.50

[Carmina einsidlensia]

DE CARMINUM EINSIDLENSIUM
TEMPORE ET AUCTORE

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE GRYPHISWALDENSI
RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

ALOYSIVS MACIEJCZYK
SILESIVS

GRYPHIAE
TYPIS HANS ADLER
MCMVII

La 35.50

Harvard College Library
OCT 30 1908
From the University

Consensu et auctoritate ordinis philosophorum dissertationem typis expressam esse testatur

C. Auwers
ordinis philosophorum h. a. decanus.

Ad ordinem philosophorum de comprobanda dissertatione rettulit

C. Hosius, professor p. o.

Examen rigorosum habitum est Kal. Juliis a. MCMVII.

IOANNI ROGULLAE

AVUNCULO

SACRUM

Praefatio.

Primus H. Hagen anno 1869 (Philol. XXVIII p. 338 sq.) ex codice Einsidlensi No. 266 saec. X duo carmina edidit, quibus interpretandis cum viri doctissimi Peiper[1]), Buecheler[2]), Ribbeck[3]), Baehrens[4]), L. Mueller[5]), Crusius[6]) operam dederint haud levem, quamvis multa sane profecerint, tamen rectum sententiarum ordinem nondum prorsus perspexisse mihi videntur. Ne Knickenberg[7]) quidem, qui unus mea sententia rectam explicandi carminis I viam ingressus est, rem plane absolvit. Huius vero viri vestigia secutus de vera carminum specie novam interpretationem proponere audeo. Qua ratione etiam ad auctoris nomen eruendum viam patefecisse mihi videor.

1) Praef. in Senecae trag. suppl. Vratislaviae 1870.
2) Mus. Rhen. XXVI p. 235 sq.
3) Ibid. p. 406. 491.
4) Fleck. Jb. 1872 p. 354 sq.
5) Berl. philol. Woch. 1885 p. 1067.
6) Philol. LIV p. 380 sq.
7) Herm. XXVII p. 144 sq.

Caput I.

Neroneam aetatem in carminibus Einsidlensibus ut auream celebrari Neronemque ipsum cum Jove et Apolline conferri satis a viris doctis probatum est. Simili modo iam Augusti aetatem a poetis celebratam esse notum est. Apud Vergilium Horatium Ovidium multis locis Augustus ut deus ad caelum extollitur: praecipue Juppiter, nonnumquam Apollo aut Hermes appellatur, spemque fuisse illius imperium re vera fore aetatem auream quarta ecloga Vergili testimonio est. Aetate vero Neronea primus Seneca hunc in modum Neronem iuvenem, ubi imperium assecutus est, laudibus extulit. Versibus enim, quos libello illi probroso in Claudium iacto immiscuit, imperator novus ut deus inducitur. Phoebus enim vaticinatur eum cantu sibi similem eiusque aevum perpetuum et aureum fore: cf. apoc. cap. IV

8 sq. *Mutatur vilis pretioso lana metallo,*
Aurea formoso descendunt saecula filo.

26 sq. *Phoebus ait: Vincat mortalis tempora vitae*
Ille mihi similis vultu similisque decore
Nec cantu nec voce minor. felicia lassis
Saecula praestabit legumque silentia rumpet.
Qualis discutiens fugientia Lucifer astra
Aut qualis surgit redeuntibus Hesperus astris,
Qualis cum primum tenebris Aurora solutis
Induxit rubicunda diem, Sol aspicit orbem
Lucidus et primos a carcere concitat axes:
Talis Caesar adest, talem iam Roma Neronem
Aspiciet, flagrat nitidus fulgore remisso
Vultus et adfuso cervix formosa capillo.

Apocolocyntosin autem initio imperii Neronis anno 54 vel 55 conscriptam esse constat[1]). Simili modo in alio quo-

[1]) Cf. Gercke. Seneca-Studien p. 283.

que opere, quod post Id. Dec. anni 55 in lucem prodiit[1]), Seneca Neronem adulabatur, in iis dico commentationibus, quas de clementia ad imperatorem misit. Cf. I 1, 2 *Juvat* (sc. te, Neronem) . . . *ita loqui secum: Egone ex omnibus mortalibus placui electusque sum, qui in terris deorum vice fungerer?* et I 1, 6 *Sed ingens tibi onus imposuisti: nemo iam divum Augustum nec Tiberii Caesaris prima tempora loquitur.*

A Seneca alter huius aetatis poeta pendet: Calpurnius[2]), cuius eclogarum tres laudes imperatoris continent I, IV, VII. Quarum primam autumno anni 54 conscriptam esse viri docti vulgo censent. Quod recte se habere potest, quamquam auctor hac in ecloga aperte Senecae de clementia libros imitari videtur. Id enim fortasse iam eo concludas, quod plurima laus imperatoris clementiae consecrata est, cf. vv. 58 sq. Praeterea ipsa verba interdum cum Senecae sententiis congruunt: cf. Sen. I 1, 4 *legibus, quas ex situ ac tenebris in lucem evocavi* cum

Calp. I 43

Et redit ad terras tandem squalore situque
Alma Themis posito

et I 71 *sed legibus omne reductis*
Jus aderit.

Deinde Sen. I 1, 3 *Conditum, immo constrictum apud me ferrum est. severitatem abditam, clementiam in procinctu habeo*

cum Calp. I 59

insanos clementia contudit enses

et 63 *Plena quies aderit, quae stricti nescia ferri.*

Haec autem quaestio facillime respecta oratione illa solvitur, quam Nero Claudio mortuo in curia habuit. Tacitus enim memoriae tradidit imperatorem imprimis clementiae suae mentionem fecisse: cf. ann. XIII 4 *nulla odia, nullas iniurias nec cupidinem ultiones adferre . . . non enim se negotiorum omnium iudicem fore, ut clusis unam intra domum accusa-*

---

[1]) Cf. Gercke, Seneca-Studien p. 292.

[2]) Hunc Neronis aevo floruisse post Sarpium firmissimis argumentis probavit Haupt, opusc. I 358 sq.

toribus et reis paucorum potentia grassaretur. Quam orationem a Seneca conscriptam esse verisimillimum est, cum laudationem Claudii die funeris a Nerone habitam ab eo compositam esse Tacitus auctor sit[1]. Itaque sententiae, quas et in Senecae libris, qui sunt de clementia, et in Calpurnii ecl. I invenimus, iam huic orationi inesse potuerunt, unde a poeta sumptae sunt.

Ecloga autem VII, in qua amphitheatrum ligneum inde a v. 22 describitur, certissime anno 57 adscribi potest. Quarta vero eodem fere tempore videtur esse conscripta. Iam Schenkl cognovit Calpurnium hac in ecloga Senecae apocolocyntosin imitari: cf. Calp. IV 137 sq.

Di, precor, hunc iuvenem, quem vos, neque fallor, ab ipso
Aethere misistis, post longa reducite vitae
Tempora vel potius mortale resolvite pensum
Et date perpetuo caelestia fila metallo.

Itaque tres illas Calpurnii eclogas initio imperii Neronis ortas esse constat. Nero vero a Calpurnio modo Iuppiter, modo Phoebus appellatur simili modo atque Augustus a suae aetatis poetis. Id unum fortasse ad imperatoris indolem pertinet, quod legimus IV 87 *facundo comitatus Apolline Caesar.* Videmus igitur poetae nullam cum imperatore consuetudinem esse: contra Seneca eius praeceptor potuit laudare imperatoris cantum, quo illum iam puerum superbivisse constat.

Sed iam ad Lucanum nos convertamus, quem a. 60 Neronem propriis carminibus celebravisse traditum est.

Sic enim Suetonius in vita Luc.: *prima ingenii experimenta in Neronis laudibus dedit quinquennali certamine.*

Accuratius etiam Vacca qui dicitur: *quippe et certamine pentaeterico acto in Pompei theatro laudibus recitatis in Neronem fuerat coronatus et ex tempore Orphea scriptum in experimentum adversum conplures ediderat poetas et tres libros, quales videmus.*

Tertius accedit Statius silv. II 7, 58 sq.

Ingratus Nero dulcibus theatris
Et noster tibi proferetur Orpheus.

---

[1] ann. XIII 3. Praeterea cf. Dio Cass. LXI 3.

Cognovimus igitur laudes Neronis carmina fuisse, quae in certamine pentaeterico, i. e. Neroniis a. 60 institutis[1]), in Pompei theatro recitata sunt. Nulla autem fragmenta servata sunt, quae his carminibus adscribantur. Sed Lucani opus maximum clarissimumque ad nos pervenit, libri illi X de bello civili scripti. Nunc videamus, num ex his enucleare possimus, quales fuerint illius laudes Neronis.

At priusquam hanc quaestionem instituamus, inquirendum est, quonam ordine et quibus temporibus Pharsaliae libri in lucem prodierint. Teste enim Vacca poeta ipse tres tantum libros edidit eo tempore, quo Caesari amicus erat; reliqui libri post mortem demum poetae ab amicis publici iuris facti sunt. Librorum trium priorum editionem viri docti anno 63 adtribuunt similitudinibus quibusdam adducti, quae inter Lucani carmen et Senecae Naturales quaestiones intercedunt. Quae aut in sententiis de rerum natura prolatis aut in elocutionibus poeticis inveniuntur. Sed Hosius ipse, quem Schanz[2]) hac in re sequitur, ita de illis iudicat[3]): *Gerade bei den philosophisch-naturwissenschaftlichen Ansichten . . . . mag mancher Ausdruck Lucans eher auf die Schule des Cornutus als auf Seneca zurückgehen,* alias in Senecae dramaticis poematis (quae quo tempore orta sint, omnino non constat) fere omnes inveniri dicit. Quarum similitudinum unam et praecipuam afferre liceat. Luc. I 527 sq. *ardentemque polum flammis caeloque volantes obliquas faces crinemque . . . sideris* (sc. vidimus) . . . . *stellaeque minores per vacuum solitae noctis decurrere tempus in medium venere diem* Hosius poetam sine dubio imitari contendit Sen. N. Qu. VI 3,3 *actae in transversum faces et caeli magna pars ardens et crinita sidera et stellae per diem visa* et VII 20,3 (stellae) *aliquando non exspectata nocte fulserunt et per medium eruperunt diem.* Cui assentiri non possum. Nam hic Lucani locus certe vix longius distat a Lucr. II 206 *Nocturnasque faces caeli sublime volantes* aut si mavis a Lucr.

---

[1]) Cf. Tac. ann. XIV 20. Suet. Ner. 12. Friedlaender Sittengesch. II^{6} p. 480.

[2]) Röm. Litt. II^{2} p. 85.

[3]) Fleck. Jb. 145 p. 337 sq.

V 1190 *Noctivagaeque faces caeli flammaeque volantes* aut a Cic. de nat. deor. II 5 *Tum facibus visis caelestibus, tum stellis iis, quas Graeci cometas, nostri crinitas vocant.* Reliquorum vero prodigiorum, quae hoc loco Lucanus affert, exempla omnia fere apud Livium inveniri possunt. Etiamsi re vera Senecam imitando exprimeret, aliter haec res explicari posset. Nam Senecae patrui cotidiana certe consuetudine Lucanus utebatur. Num igitur mirum esse potest, quod apud eos similitudines quaedam inveniuntur[1]?

Videmus igitur ex ea concordantia nihil de tempore, quo libri III priores editi sint, concludi posse.

Alterum vero argumentum gravissimum primus Gercke attulit, qui I 529 *mutantem regna cometen* Lucanum mutaturum fuisse demonstravit, si libri illi priores post annum 60, quo cometen apparuisse constat, in lucem prodiissent[2]. Cf. Tac. ann. XIV 22 *sidus cometes* (a. 60) *effulsit, de quo vulgi opinio est, tamquam mutationem regis portendat. Igitur quasi iam depulso Nerone, quisnam eligeretur, anquirebant.*

Itaque Lucanus, ne principem laederet, saltem aliquid addere debuit eadem cautione, qua Apollonius Myndius usus est, quem Seneca N. Qu. VII 17 exscripsit: *Nec est, quod putemus eundem visum esse* (sc. cometen) *sub Claudio, quem sub Augusto vidimus, nec hunc, qui sub Nerone Caesare apparuit et cometis detraxit infamiam, illi similem fuisse, qui* ⟨*post necem*⟩ *divi Julii Veneris ludis Genitricis circa undecimam horam diei emersit.*

Videmus igitur libros illos iam antequam hic cometes effulsit editos esse. Multo etiam verisimilius mihi videtur esse Lucanum, quem *teneris adhuc in annis*[3]) carmen epicum Iliacon confecisse traditum est, iam eo tempore, quo Athenis studiis deditus erat, hanc materiam aggressum esse. Itaque vix credibile est eum anno 63 demum huius carminis conscribendi consilium cepisse; vixque explicari potest, quonam modo octo fere milia versuum tanta cum arte et diligentia a poeta

---

[1]) Cf. Diels, Seneca und Lucan. Abhdlg. d. Berl. Ak. d. Wiss. 1885 p. 4.

[2]) Seneca-Studien p. 108 sq.

[3]) Stat. Silv. II 7, 54.

tam brevi spatio conscribi potuerint, cum prid. Kal. Mai. anni 65 iam vita excesserit, etiamsi non pauca alia carmina, quae his ultimis annis adscribuntur, non premimus.

Itaque ut iam summam complectamur: eodem fere tempore, quo Lucanus Neronem laudibus celebravit, i. e. anno 60, Pharsaliae libri III priores in lucem prodierunt.

His in libris uno loco temporum praesentium mentio fit: I 24—66, quo poeta carmen suum imperatori quasi dedicat. Primum poeta, postquam descripsit, quantopere patria bellis civilibus vastata sit, Neronis imperium faustum illis temporibus opponit (vv. 24—45a), deinde Neronem mortuum Jovem vel potius Phoebum Solis currum regentem fore contendit quaeque inde oritura sint bona depingit (vv. 45b—66). Neque silentio praetereundum est[1]) utramque partem eundem versuum numerum continere, sunt enim et hic et illic viginti unus et dimidius.

Simili igitur modo Lucanus Neroni blanditur atque carminum Einsidlensium auctor; quod quo apertius detegatur, Lucani locos exscribam: I 24 sq.

At nunc semirutis pendent quod moenia tectis
Urbibus Italiae lapsisque ingentia muris
Saxa iacent nulloque domus custode tenetur
Rarus et antiquis habitator in urbibus errat,
Horrida quod dumis multosque inarata per annos
Hesperia est desuntque manus poscentibus arvis,
Non tu, Pyrrhe ferox, nec tantis cladibus auctor
Poenus erit; nulli penitus descendere ferro
Contigit: alta sedent civilis volnera dextrae.
Quodsi non aliam venturo fata Neroni
Invenere viam magnoque aeterna parantur
Regna deis, caelumque suo servire Tonanti
Non nisi saevorum potuit post bella gigantum,
Iam nihil, o superi, querimur; scelera ista nefasque
Hac mercede placent; diros Pharsalia campos
Inpleat et Poeni saturentur sanguine manes;
Ultima funesta concurrant proelia Munda;

[1]) Cf. cap. III.

His, Caesar, Perusina fames Mutinaeque labores
Accedant fatis et quas premit aspera classes
Leucas et ardenti servilia bella sub Aetna:
Multum Roma tamen debet civilibus armis,
Quod tibi res acta est.

Primum igitur poeta describit, quanta vastatio bellis civilibus Italiae illata sit (vv. 24—32), deinde haec damna tamen eo pensari dicit, quod Nero imperator prodierit (vv. 33—38); denique eadem sententia fere iteratur (vv. 38—45).

Conferamus carminis Eins. II argumentum: Primum aetatis Neroneae pax divina describitur, deinde quaestio posita, num bella civilia imminerent, refutatur; quae cogitatio in ultimis versibus repetitur.

Eadem igitur fere ratione et in carmine bucolico et in illo heroico bella civilia et Neronis imperium inter se opponuntur. Quae res cum in carm. Eins. viris doctis satis mira sit visa[1]), in prooemio Lucani maiorem etiam admirationem movet. Nam bella civilia via esse dicuntur, qua fatum Neronis imperium instituet. Sed quonam modo bella ista cum Neronis dominatione cohaereant, poeta non exponit, sed hanc quaestionem solvendam iis, qui legunt, committit. Nam si Schanz[2]) affirmat: *selbst die Greuel der Bürgerkriege werden entschuldigt, da sie das Emporkommen des julischen Hauses und damit auch die Regierung Neros ermöglichten* illud *Emporkommen des julischen Hauses* apud Lucanum plane desideramus; poeta rem etiamsi hac vel simili ratione sibi finxit, aperte exprimere non potuit, cum per totum carmen Pompeium celebraret, Caesarem illuderet.

Quamquam in hoc rerum conexu offendimus, tamen intellegimus, cur poeta hanc viam ingressus sit. Cum enim tres libros priores edendos curaret, Neronem certo sperare sciebat sui ob beneficia in Lucanum congesta mentionem poetam non omissurum. Itaque Neronis tempora quin cum bellis civilibus consereret, facere non potuit.

Cognoscimus igitur carmen Eins. II et hunc Lucani locum partibus singulis inter se arto vinculo cohaerere. In carmine

[1]) Cf. Ribbeck, Gesch. d. röm. Dicht. III p. 49.
[2]) p. 87.

epico poeta a cladibus bellorum civilium, quorum signa etiam praesentibus temporibus videri possint, inchoans venturi temporis gloriam ostendit; contra carminis Eins. II auctor bonis iam praesentibus praeterita mala opponit. Eadem vero mira sententia, quam ibi I 44 sq. legimus:

Multum Roma tamen debet civilibus armis,
Quod tibi res acta est

in ultimo versu hic occurrit:

Casta fave Lucina: tuus iam regnat Apollo.

Lucina enim cum dea sit partus, si Neronis imperium bellis civilibus, quorum scelera modo Mystes enumeravit, quasi natum est, ita salutari potuit.

Neque dissimilis intercedit ratio inter carmen prius et Lucani I 45 sq.

Te, cum statione peracta
Astra petes serus, praelati regia caeli
Excipiet gaudente polo; seu sceptra tenere,
Seu te flammigeros Phoebi conscendere currus
Telluremque nihil mutato solo timentem
Igne vago lustrare iuvet, tibi numine ab omni
Cedetur, iurisque tui natura relinquet,
Quis deus esse velis, ubi regnum ponere mundi.
Sed neque in arctoo sedem tibi legeris orbe,
Nec polus aversi calidus qua vergitur Austri[1]),
Unde tuam videas obliquo sidere Romam.
Aetheris inmensi partem si presseris unam
Sentiet axis onus: librati pondera caeli
Orbe tene medio; pars aetheris illa sereni
Tota vacet, nullaeque obstent a Caesare nubes.
Tunc genus humanum positis sibi consulat armis,
Inque vicem gens omnis amet; pax missa per orbem
Ferrea belligeri conpescat limina Jani.
Sed mihi iam numen, nec, si te pectore vates
Accipio, Cirrhaea velim secreta moventem
Sollicitare deum Bacchumque avertere Nysa:
Tu satis ad vires Romana in carmina dandas.

---

[1]) Cf. schol. ad Stat. Theb. VI 300 ***monebat ergo Phaethontem Sol, ut non ageret currus per australem aut septentrionalem plagam.***

Nero igitur post mortem totum mundum reget ut Juppiter vel potius Phoebus Solis currui insistens orbe caeli medio: tunc totus orbis pace fruetur, Lucano nunc iam deus est, cuius numine instinctus carmina Romana nova pangit.

In carmine Eins. I Nero propter artem canendi et psallendi Jovi vel Apollini par esse dicitur; Musae accurrunt, Troia gaudet, Homerus eum coronat; sed ea carmina Romana, quae adhuc maxima existimabantur, a Mantuano ipso delentur.

Quibuscum versibus si comparamus verba Suetonii Ner. 53 *quia Apollinem cantu, Solem aurigando aequiperare existimaretur* et Taciti ann. XIV 14 *Vetus illi* (sc. Neroni) *cupido erat curriculo quadrigarum insistere, nec minus foedum studium cithara ludicrum in modum canere,* quae studia a. 59 matre interfecta tam immodice exarserunt, ut a. 60 etiam Romae publice ea exercere auderet [1]), quod nullus ante eum imperator fecerat, et hanc Pharsaliae partem et carmen Eins. I artissimam affinitatem prae se ferre videmus.

Mirus etiam consensus inter carminis Eins. I versum 40 et Luc. I 37 sq. occurrit: eadem fere summa adulatione hic scelera bellorum civilium excusantur, quod Nero per ea imperator exstitit, illic Troiae casus pro nihilo ducitur, quod Neronis carmine celebratus est (cf. *tanti cecidisse fuit).*

Videmus igitur Lucanum eodem anno, quo laudes Neronis conscripsit, in carmine suo epico Neronem eodem modo celebrare, quo carmina Einsidlensia, cum illis conspirantem in rebus et sententiis nec non, de quo infra disputabitur, aliquo modo artificio aequarum partium [2]); nam illius blanditiarum utramque partem eundem versuum numerum continere supra dixi. Sed restant, quibus non minorem concordantiam deprehendimus. Nam quamquam alii loci, quibus praesentia tempora designantur, libris prioribus non insunt, tamen non desideramus, in quibus Lucanus res similes isdem fere verbis describit.

---

[1]) Cf. Tac. ann. XIV 20. 21. Suet. Ner. 21.

[2]) Cf. cap. III.

In carm. Eins. II 32—34 scelera Sullae et triumvirorum a praesenti aetate longe abesse demonstratur. Eadem res in libro I a Lucano similiter adhibita est, qua bellum civile alterum Caesaris et Pompei atrocius fuisse quam prius Marii et Sullae ostenderetur: cf. Eins. II 27 sq.

nec clausis oppida muris
Bella tacenda parant
30 sq. *puer domifactus aratro*
Miratur patriis pendentem sedibus ensem
32 *procul a nobis infelix gloria Sullae*
35 *Mordent frena tigres.*

Contra Luc. I 324 sq. Caesar Pompeio haec crimina obicit:

Nunc quoque ne lassum teneat privata senectus,
Bella nefanda parat suetus civilibus armis
Et docilis Sullam sceleris vicisse magistrum;
Utque ferae tigres nunquam posuere furorem . . .
330 *Sic et Sullanum solito tibi lambere ferrum*
Durat, Magne, sitis.

(Respice ordinem criminum eundem atque illorum aetatis aureae signorum).

Cf. praeterea Luc. II 221 sq.
Hisne salus rerum, felix his Sulla vocari,
His meruit tumulum medio sibi tollere Campo?

Sed etiam carmen Eins. I, quamquam rem a bello civili alienissimam tractat, in singulis rebus cum illo congruit. Nam auctor, qui Neronem cum Jove et Phoebo comparat, non illos deos ante oculos habet, quales Vergilius Horatius Calpurnius finxerunt, sed mirum in modum hominem deis sectae Stoicae opponit, deis, inquam, quibus nihil imaginis humanae adest, qui omnes unius dei, i. e. totius mundi, nomina vel virtutes sunt. Lucanum vero ipsum Stoicum fuisse non solum carmen eius epicum ostendit, sed etiam ex Persii vita magistrum ei Cornutum Stoicum fuisse scimus. Huius autem libellus, qui Ἐπιδρομὴ τῶν κατὰ τὴν Ἑλληνικὴν θεολογίαν παραδεδομένων inscribitur, nobis servatus est. Mirum mihi autem videtur esse, quod nemo

illorum, qui de Lucani philosophia scripserunt[1]), hoc opusculum cum Lucano comparavit. Itaque, quantum ad nostram quaestionem pertinet, singulos locos et poetae Eins. et Lucani cum libello illo Cornuti conferam.

Auctori carminis Eins. Juppiter mens est, quae amore per totum mundum perfunditur, cf. I 22

Maxime divorum caelique aeterna potestas
27 *caeli mens*
29 *talis divina potestas,*
Quae genuit mundum septemque intexuit orbis
Artificis zonas[2]) *et totum miscet amore.*

Eundem mundi amorem Lucanus adloquitur IV 189 sq.

Nunc ades, aeterno conplectens omnia nexu,
O rerum mixtique salus concordia mundi
Et sacer orbis amor.

Cf. sententiam de Jove V 93 sq. prolatam

Forsan terris inserta regendis
Aere libratum vacuo quae sustinet orbem,
Totius pars magna Jovis Cirrhaea per antra
Exit et aetherio trahitur conexa Tonanti.

Quibus cum locis haec Cornuti verba conferas: p. 9, 1 sq. Lang. ὁ Ζεὺς πατὴρ λέγεται θεῶν. p. 3, 4 sq. ὁ κόσμος ψυχὴν ἔχει τὴν συνέχουσαν αὐτὸν, καὶ αὕτη καλεῖται Ζεύς . . . Δία δὲ αὐτὸν καλοῦμεν, ὅτι δι' αὐτὸν γίνεται καὶ σῴζεται πάντα . παρὰ δέ τισι καὶ Δεὺς λέγεται τάχα ἀπὸ τοῦ δεύειν τὴν γῆν . . . . οἰκεῖν δὲ ἐν τῷ οὐρανῷ λέγεται, ἐπεὶ ἐκεῖ ἐστι τὸ κυριώτατον μέρος τῆς τοῦ κόσμου ψυχῆς. p. 11, 18 Ἀκολούθως δὲ τούτοις λέγεται καὶ ὅτι

πάντ' ἐφορᾷ Διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντ' ἐπακούει.

πῶς γὰρ οἷόν τέ ἐστι τὴν διὰ πάντων διήκουσαν δύναμιν λανθάνειν τι τῶν ἐν τῷ κόσμῳ γινομένων;

Sed cum Juppiter mens mundi universi sit, reliqui, quos populus credit, di Stoicis huius temporis nomina diversa

---

1) M. Sourieau, De deorum ministeriis in Pharsalia. Parisiis 1885. Fr. Oettl, Lucans philosophische Weltanschauung. Brixen 1888. Millard, Lucani sententia de deis et fato. Traiecti a. Rh. 1891.

2) Etiam hanc de septem planetarum sphaeris doctrinam iam ab Aristotele prolatam Stoici probabant, cf. Zeller, Philosoph. d. Griech. III 1³ p. 187.

eiusdem dei sunt, quibus singula eius opera significantur. Cf. Sen. de ben. IV 7,1 *quid enim aliud est natura quam deus et divina ratio toti mundo partibusque eius inserta? Quotiens voles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum conpellare; et Jovem illum Optimum ac Maximum rite dices et Tonantem et Statorem . . . . Quaecumque voles, illi nomina proprie aptabis vim aliquam effectumque caelestium rerum continentia: tot adpellationes eius possunt esse, quot munera.*

Ita fieri potuit, ut nonnumquam singulorum munera inter se confunderentur. Itaque non offendimus in eo, quod Phoebus, qui canendo et psallendo primordia mundi iungit, etiam Pythiam ad futura canenda cogit, cum apud Lucanum V 93 sq. Juppiter pectus virgineum occupare dicatur; sed cfr. ibidem *Apollo* 85, 128. *Phoebas* 136, 139, 152, 156 etc.

Similis fere res est de Phoebo Eins. I 23 sq.

Seu tibi, Phoebe, placet temptare loquentia fila
Et citharae modulis primordia iungere mundi:
Carminibus virgo furit et canit ore coacto.

27 *solis imago*

32sq. *Talis Phoebus erat, cum laetus caede draconis*
Docta repercusso generavit carmina plectro.

Cf. Luc. V 82 sq.

Ut vidit Paean vastos telluris hiatus
Divinam spirare fidem ventosque loquaces
Exhalare solum, sacris se condidit antris
Incubuitque adyto vates ibi factus Apollo.

161 sq. *Tandem conterrita virgo*
Confugit ad tripodas vastisque adducta cavernis
Haesit et invito concepit pectore numen,
Quod non exhaustae per tot iam saecula rupis
Spiritus ingessit vati, tandemque potitus
Pectore Cirrhaeo non umquam plenior artus
Phoebados inrupit Paean mentemque priorem
Expulit atque hominem toto sibi cedere iussit
Pectore.

Cf. Corn. p. 65,1 Ἀπόλλων ὁ ἥλιός ἐστιν. p. 67,17 μουσικὸς δὲ καὶ κιθαριστὴς παρεισῆκται τῷ κρούειν ἐναρμονίως πᾶν μέρος τοῦ κόσμου καὶ συνῳδὸν αὐτὸ πᾶσι τοῖς ἄλλοις μέρεσι

ποιεῖν, μηδεμιᾶς ἐκμελείας ἐν τοῖς οὖσι θεωρουμένης, ἀλλὰ καὶ τὴν τῶν χρόνων πρὸς ἀλλήλους συμμετρίαν ἐπ' ἄκρον ὡς ἐν ῥυθμοῖς τηροῦντος αὐτοῦ.

Itaque philosophiam quoque auctoris carminum Einsidlensium eandem atque Lucani esse videmus.

Examinemus etiam utriusque sermonem, inprimis illa, quae ab usu cotidiano recedunt. Quam ad rem tractandam adiumentum praebent minus commentationes Körberi, De Lucani usu syntactico (Petersburgii 1874), et Bertholdi, De Lucani elocutione poetica (Grimmae 1879), quae communem tantum consuetudinem verborum respiciunt, multum opusculum M. Obermeieri, quod ‚Der Sprachgebrauch des M. Annaeus Lucanus' inscribitur (Monachii 1886).

Primum vero nonnullos locos carminum Eins., quos nondum attuli, cum similibus Lucani versibus componam.

Eins. I 3	*nemoris secreta voluptas*
Luc. II 602	*Silvarum secreta petit*
Eins. I 7	*Vel caper ille nota frontem qui pingitur alba*
Luc. IX 713	*Pluribus ille notis variatam tinguitur alvum*
Eins. I 9	*silvicolae munus memorabile Fauni*
Orph.fragm.6Hos.	*silvicolae Fauni*[1])
Luc. IX 964	*nomen memorabile Troiae*[2])
994	*pignus memorabile templo*
Eins. I 26	*Fas mihi sit vidisse deos, fas prodere mundo*
Luc. I 598	*cui fas vidisse Minervam*
631	*Vix fas, superi, quaecumque movetis,* *Prodere me populis.*
X 194	*Fas mihi magnorum, Caesar, secreta parentum* *Prodere ad hoc aevi populis ignota profanis*[3]).
Eins. I 27	*solis imago* (quamvis sensu sane diverso)
Luc. V 446	*non solis imagine vibrat*
VI 503	*Quam si fraterna prohiberet imagine tellus*
Eins. I 38	*Tu quoque Troia sacros cineres ad sidera tolle*
40	*gaudete ruinae*
41	*vester vos tollit alumnus*

[1]) Cf. Verg. Aen. X 551.
[2]) Cf. Verg. Aen. IV 94.
[3]) Cf. Verg. Aen. II 157. VI 266.

Luc. IX 990 sq. *Di cinerum, Phrygias colitis quicumque ruinas,*
Aeneaeque mei . . . . (lares)

Eins. I 47 *caput merito velavit amictu*[1])
Luc. IX 109 *caput ferali obduxit amictu*
Eins. I 48 *non segnior ore*[2])
Luc. IV 581 *non segnior illo*

Eins. II 1 *mea gaudia turbant*
Luc. VI 284 *dum gaudia turbet*
Eins. II 6 *vigiles quoque somnus adumbrat*
Luc. V 511 *vigilum somno cedentia membra*
Eins. II 15 *adtrito diffusus cortice Bacchus*
Luc. IV 379 *ignoto diffusus consule Bacchus*
Eins. II 21 *dubio pugnant discrimine*
Luc. IV 770 *dubii discrimine Martis*
Eins. II 27 *clausis oppida muris*
Luc. III 342 *claudere muros*
446 *muris sed clausa iuventus.*
Eins. II 27 *Nec gladio metimus*
29 sq. *arva iuventus*
Nuda fodit
Luc. IV 294 sq. *Nec solum rastris durisque ligonibus arva,*
Sed gladiis fodere suis.
VIII 525 sq. *populum non cernis inermem*
Arvaque vix refugo fodientem mollia Nilo?
Eins. II 31 *Miratur patriis pendentem sedibus ensem*
Luc. I 240 sq. *sacris adfixa penatibus arma,*
Quae pax longa dabat
Eins. II 37 *Mordent frena tigres, subeunt iuga saeva leones*
Luc. VI 487 sq. *Has avidae tigres et nobilis ira leonum*
Ore fovent blando.

Quibus locis allatis sermonem utriusqne auctoris comparemus.

Substantiva concreta a poetis propter rem metricam interdum numero plurali ponuntur: cf. Luc. X 277 et Eins. II 20 *cervicibus*[3]).

---

[1]) Cf. Catull. LXIV 266 Ciris 250. Ov. art. am. III 179. met. X 1.
[2]) Cf. Verg. Aen. VIII 414.
[3]) Falso Oberm. p. 7 contendit *cervices* non inveniri apud Lucanum.

Saepius apud Lucanum adiectivorum usus prolepticus occurrit, cuius exempla in carm. Eins. haec sunt

I 5 *artis fiducia muta est*

II 36 *ratibus tutis fera non irascitur unda.*

Quocum cf. Luc. VI 829

Dum ferrent tutos intra tentoria gressus

(et praeter exempla ab Oberm. p. 20 allata I 57

Librati pondera caeli
Orbe tene medio).

Quod ad negationes pertinet, Lucanus semper fere ante adverbia *haud* particula usus est, quocum conferendum est carm. Eins. I 48 *haud procul* cf. Luc. III 375 (ita iam Ovid. met. V 385. XI 277). Qua negatione scriptores Latini imperatorum aetate nisi ante verba posita fere non utebantur, inprimis affirmativa (Oberm. p. 22). Ante verba negativa Lucanus *haud* his locis posuit V 558 *haud dubitem* VIII 551 *haud metuis,* cf. carm. Eins. II 5 *haud timet hostes.*

Praepositiones *adversus, circiter, cis, coram, extra, infra, penes, prae, praeter* neque apud Lucanum neque in carm. Eins. inveniuntur.

Accusativus graecus qui vocatur, saepissime cum verbis vestiendi coniungitur. Ad alia verba positus cum participio Perf. Pass. usurpatur, raro cum verbo finito, cuius usus duo exempla apud Lucanum occurrunt:

III 587sq. *Terga simul pariter missis et pectora telis*
Transigitur

IX 713 *Pluribus ille notis variatam tinguitur alvum.*

quocum conferas carm. Eins. I 7:

Vel caper ille nota frontem qui pingitur alba.

Verba illa composita, quae aut cum dativo aut cum praepositione coniunguntur, Lucanus semper fere cum dativo adhibuit. Eundem usum in carm. Eins. I 4 invenimus *Imponite lusibus artem.* (Verbum *redire* apud Lucanum et cum *in* c. Acc. et cum dativo coniunctum est:

VII 719 *rursusque in fata redire*

IX 224 *Jam pelago pirata redit.*

Cf. Eins. II 22—24, si vera est mea coniectura infra prolata, *huic aevo rediisse — in antiquos redierunt saecula mores.*)

Ellipsis verborum apud Lucanum praeter *est* et *es* rarissima est[1]); in Eins. quoque carminibus nulla nisi haec omittuntur:

II 1 *Quid tacitus Mystes* (sc. es)?

II 32 *Sed procul a nobis infelix gloria Sullae* (sc. est).

Rhetoricarum vero figurarum usus, qui in carminibus Eins. invenitur, omnibus fere poetis Latinis communis est.

Itaque sermonem auctoris carminum Eins. a Lucano non abhorrere videmus.

Idem valet in rationibus metricis. Nam Lucanum, quem Weber aliique viri docti interdum nimia licentia usum esse putaverunt, ex dissertatione E. Trampii[2]) diligentissima vix ulla in re severius quam in metrica se ipsum coercuisse cognovimus, ut versus eius quamquam poetae heroici magis cum elegiacis Tibulli hexametris quam cum Vergilianis comparari possint; quin etiam Ovidium ipsum, quem hac in re maxime politum esse constat, superavit. Qua re versus eius eleganter defluunt, sed nervositate illa Vergili carent.

Sed idem in re metrica proprias leges quasdam observavit, quibus etiam a poetis suae aetatis, velut a Calpurnio, differt. Eisdem vero legibus carminum Eins. versus formatos esse videbimus.

Jam Buecheler[3]) hos versus hexametros ab omni licentia longe abesse cognovit. Primum rarae illae elisiones et in carm. Eins. et in Lucani libris notabiles sunt. Nam omnino novem tantum exempla in carminibus Eins. inveniuntur, si quinque aphaereses I 5 *muta est* 12 *dempta est* 15 *mea est* 37 *Apollo est* II 29 *quaecumque est*, ut par est, omittimus. Octies ‚e' correpta eliditur ibique ‚e' quinquies suffixi ‚que' vocalis est: I 22 *caelique aeterna* 30 *septemque intexuit* 39 *Atque Agamemnoniis* II 16 *sollemnisque inbuat* 24 *Totaque in*; reliqua tria exempla haec sunt: I 11 *Elige utrum* 19 *Pergite io* in thesi pedis primi, II 7 *Glycerane aliquid* in thesi pedis tertii. Semel ‚o' eliditur I 45 *Ergo ut*[4]). Qui

[1]) Cf. Oberm. p. 69 et 70.

[2]) Berolini 1884.

[3]) l. l. p. 234 adn. 1.

[4]) Cf. infra p. 26.

usus optime cum Lucano congruit, qui hac in re a multis aliis scriptoribus velut Vergilio Statio Silio Valerio, quin etiam ab Ovidio recedit. Lucanus enim duas licentias, quas hi auctores admittunt, summa cura vitavit:

1. in thesi Lucanus vocales breves praeter ‚e' correptam cum altera syllaba brevi coniungere noluit (perpaucis exemplis exceptis [1]).

2. elisiones ultimae syllabae dactyli correptae nusquam nisi in pede primo et quinto admisit [2]).

Easdem leges in carminibus brevibus servatas detegimus, cum

1. in thesi semper correpta ‚e' tantum elidatur,

2. alterius syllabae correptae dactyli elisio tantum in pede primo inveniatur:

I 11 *Elige utrum* — 19 *Pergite io* — II 24 *Totaque in.*

Quod autem versus Pharsaliae tam molliter defluunt, poeta inprimis ea re effecit, quod multo magis quam Vergilius Ovidius Statius alii diligentissime in posteriore versus parte et quidem maxime in duobus pedibus ultimis concordantiam accentus naturalis et metrici appetivit.

Itaque primum omnes fere versus in voces aut bisyllabas aut trisyllabas exire iussit, quam legem in omnibus quoque Eins. carminum versibus observatam esse videmus. Ubi vero in arsi quinta monosyllabon invenitur, sententiae quoque accentum habet: cf. Luc. Phars. VII 137 *non vacat ullos* 819 *non habet urnam* VIII 647 *Haud ego culpa Libera* cum Eins. II 5 *Haud timet hostes* 7 *Non, nôn patet. Erras* 8 *non solet aequor.*

Maximi autem momenti est, quod Lucanus in versibus componendis voces per arses quartam et quintam pertinentes diligentissime sprevit. Nam huius rei in octo fere milibus versibus vix triginta exempla inveniuntur (Trampe p. 32). Qua in re Lucanus a reliquis poetis, inprimis ab epicis, valde differt. Cum apud eum in versibus fere trecentis unus talis versus exitus occurrat, iam in centum versibus apud Tibullum

---

[1]) Cf. Trampe p. 20.

[2]) Cf. Trampe p. 15.

et in georgicis unus, in Aeneide duo, in bucolicis tres, apud Petronium et Silium tres, apud Statium et Ovidium (in metamorphosibus) sex inveniuntur. Sed etiam Calpurnius, quem Lucani aequalem fuisse constat, saepius tales versus adhibuit: in versibus ducentis novem huius rei exempla extant (quater in ecl. I, bis in II, quater in III, quinquies in IV, octies in V, sexies in VI, quinquies in VII tales versus admisit). Apud auctorem laudis Pisonis ex versibus ducentis uno et sexaginta exitus tredecim hoc modo formantur [1]). Apparet autem Lucanum hos versuum exitus propterea fugisse, quod versus rara incisione minus distincti flaccescunt, cf. Calp. V 10 sq.

iam certe potes ínsudáre labori,
Jam pro me gnavam potes éxercére iuventam.
Aspicis ut nobis aetas iam mille querellas
Afferat et baculum premat ínclináta senectus.

Ubi vero apud Lucanum inveniuntur, gravitatis rei descriptae causa adhibiti esse videntur [2]).

Hac quoque in re auctor carminum Eins. plane cum Lucano consentit. Cum enim apud Calpurnium in omnibus eclogis excepta altera quattuor vel plura exempla inveniantur, in carminibus Eins. exitus tales omnino desunt.

Quod autem Lucani versus tam eleganter defluunt, non minus ea re effecit, quod multo minus quam ceteri in arsibus inde a tertia verba ἄτονα, i. e. praepositiones et coniunctiones monosyllabas, tum relativa eiusdem generis posuit (Trampe p. 45). Coniunctionum igitur, quae coordinantes vocantur *et, atqu(e), ac, nec, vel, aut; sed, at, nam* Lucanus duas tantum priores in arsi 3. decies septies, in arsi 4. novies adhibuit. (Apud Calpurnium duodecim exempla inveniuntur.) Subordinantes vero coniunctiones *cum, dum, quod, si, ut, ne, quam* et pronomina relativa monosyllaba, ubi in arsi tertia vel quarta occurrunt, semper fere altera vox minoris ponderis antecedit, velut *vel, cum, quam, si* etc.

---

1) Cf. Trampe p. 33—39.
2) Cf. Trampe p. 39.

Praepositiones vero monosyllabae in arsi 3. vel 4. decies sexies apud Lucanum positae sunt (apud Calpurnium tria exstant exempla).

Eandem diligentiam in carminibus Eins. invenimus: unus tantum versus est, in quo monosyllabon huius generis in arsi inde a tertia positum occurrit I 25

Carminibus virgo furit et canit ore coacto.

In arsibus vero quinta et sexta Lucanus multo etiam cautius ἄτονα adhibuit: ubi huius usus exempla perpauca inveniuntur, semper sententiae incisio antecedit. Quam licentiam in carminibus Eins. omnino vitatam esse supra diximus.

Neque minor est differentia, quam in caesuris a Lucano et aliis scriptoribus adhibitis invenimus. Ille has caesuras admisit: 'semiquinariam, semiseptenariam, semiternariam, tum bucolicam quae vocatur et trochaicam pedis quinti, deinde incisionem ante pedem secundum et sextum, rarissime post trochaeum primum' (Trampe 68). Caesuris vero trochaicis in pede tertio et quarto positis omnino abstinuit. (Caesura κατὰ τρίτον τροχαῖον bis in Laude Pisonis, ter apud Calpurnium occurrit).

Conferamus carminum Eins. caesuras: ter et sexagies semiquinaria adhibetur (I 1. 4. 5. 7. 10. 11. 13. 14. 17. 18. 19. 22. 23. 24. 25. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 41. 44. 45. 46. 47. 48. 49. II. 1. 4. 6. 8. 9. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 31. 32. 33. 34. 36. 37), sexies semiquinaria cum incisione post pedem primum coniuncta (I 2. 3. 9. 12. 16. 21), undecies semiseptenaria cum semiternaria coniuncta (I 6. 8. 15. 26. 27. 40. II 7. 10. 23. 30. 35), bis incisio, quae bucolica vocatur (I 20. II 5). (Caesura vero κατὰ τρίτον τροχαῖον II 38, qui versus ex Verg. ecl. IV petitus est, occurrit).

Eandem igitur diligentiam, qua Lucanus excellit, apud alterum scriptorem invenimus. Una vero difficultas, quae restare videtur, facile explicari potest. Quod enim apud Luc. II 329 *virgo* syllaba finali correpta legitur, cum in carmine Eins. I 25 illa 'o' producatur, Lucanus mihi quidem sibi ipse non constare videtur: corripitur enim in

illius poemate epico ‚o' syllabae finalis in *praedo*, *pulmo*, producitur in *bubo*, *mucro*. Sed etiam illud ipsum *virgo* apud eundem auctorem modo correpta, modo producta finali positum inveni: apud Manilium enim mensura hac effertur II 442, III 410, sed illa I 266, II 286, IV 382. Itaque Lucanum iuvenem certas sibi leges nondum finxisse opinor aut ex consuetudine suae aetatis ei variare licuit. Quod optime in voce *ergo* observari potest, cuius ‚o' iam apud Ovidium ante coniunctiones positum corripitur, 'qua de re consulto Lucanum ‚ergo' caute tractasse persuasum mihi est' (Trampe p. 7). Istam enim vocem Lucanus in synaloephe semper posuit, semel autem correpta finali (IX 256 *Ergo pari*), cum *porro*, *vero*, *retro*, *quando* ubique producta finali usurpentur. In thesi vero prima Lucanus vocales longas nisi cum syllaba brevi excepta voce *ergo* non coniunxit.

Similis autem inconstantia in carm. Eins. occurrit. II 21 *ergo* producta finali legitur, contra I 45 *Ergo ut divinis* correptum ‚o' esse debet, cum in thesi pedis primi cum syllaba longa coniungatur[1]). Hoc igitur argumentum ceteris non refragatur.

[1]) Nil moror, quod Eins. I 11 *puto* correpta finali legitur, 'cui inde ab antiquissima aetate licuit esse pyrrichiaco' (L. Mueller, de re metr. [2] p. 35). Dolendum est, quod hoc vocabulum apud Lucanum non occurrit. Apud Calpurnium quoque semper haec ‚o' producitur: I 34 *cano*, II 23 *moneo*. III 35 *exopto*. 94 *stabo*, IV 73 *faveo*, V 9 *do*, VII 44 *stupeo*, sed I 21 *nescio*, VI 83 *puto* correpta finali leguntur!

Caput II.

Postquam carmina Einsidlensia cum Lucani belli civilis libris III prioribus circa annum 60 editis eadem fere Neronis laude, sermone, philosophia, re metrica conspirare intelleximus, nonne suspicari licet haec carmina bucolica esse eas laudes Neronis, quas anno 60 a Lucano recitatas esse supra demonstravimus? Quae coniectura cum propter has similitudines iam probalilitate non careat, paene certa fiet, si carmina haec re vera anno 60 orta esse ostenderimus.

Qua in re perquirenda a carmine II egressi res nondum absolutas illustremus. Ibi poeta auream non vaticinatur aetatem venturam (velut Calpurnius in ecl. I), sed iam praesentem iactat. Quin etiam Mystae satietate bonorum paene iam fesso curae surgunt, quod *stolidum pecus* nondum intellegat revera tempora Saturni rediisse. Inprimis autem iterum iterumque confirmatur de bello civili ne cogitari quidem posse. Ex carmine igitur ipso vix concludi potest, quo tempore ortum sit, id quod Buecheler optime cognovit[1]). Quod igitur Gercke hoc carmen propter versum *tuus iam regnat Apollo* initio aetatis Neroneae. ortum esse putavit atque certis annis vel 53/54 vel 56/57 propter pacem illam adscripsit[2]), priore argumento res probaretur, si versus ille ita a poeta ipso fictus, non ex Vergilio depromptus esset, alterum vero anno 60 non repugnat, cum hic bellorum civilium tantum mentio fiat. Nerone rerum potito usque ad annum 61 bella maiora non gesta sunt praeter continuas illas in finibus imperii seditiones. Neronem vero anno 60

---

1) p. 238.
2) Sen.-Stud. p. 257 adn. 1.

quoque a Lucano nimiis laudibus celebratum esse Gercke ipse concedit[1]).

Nero quamquam Agrippina occisa veros mores ostenderat, tamen propter hoc scelus eximie a vili senatu plebèque celebratus est. Missis enim ad senatum litteris, quibus matrem sibi insidias paravisse criminabatur, *decernuntur supplicationes apud omnia pulvinaria, utque Quinquatrus, quibus apertae insidiae essent, ludis annuis celebrarentur.* (Tac. ann. XIV 12). Ipse paulo post ut triumphator Romam rediit. *Inveniunt obvias tribus, festo cultu senatum, coniugum ac librorum agmina per sexum et aetatem disposita, exstructos, qua incederet, spectaculorum gradus, quomodo triumphi visuntur. hinc superbus ac publici servitii victor Capitolium adiit, grates exsolvit seque in omnes libidines effudit, quas male coërcitas qualiscumque matris reverentia tardaverat.* (Tac. XIV 13. cf. Dio Cass. LXI 16.)

Huiusmodi supplicationes et dies festos in carmine Eins. II celebrari puto. Neque vero post maternam caedem deerant, qui imperatori obsistere auderent, velut Thrasea Paetus ille, qui senatu exiit, cum hi in Neronem honores decernerentur[2]). Quae factio adversa apertius ei restitit a. 60, ubi cometes ille effulsit, cuius iam mentionem fecimus. Tunc enim Rubellium Plautum, *cui nobilitas per matrem ex Julia familia* erat, imperium adepturum esse omnes praedicebant, quam ob rem a Nerone in exilium missus est[3]). Quamquam hoc Neroniis iam celebratis factum est, iam antea rumores ad aures imperatoris pervasisse verisimile est, quibus intellegere potuit, quot homines ab adulatoribus illis, quos circum se habebat, dissentirent. Sed Britannico interfecto Nero alterum virum suspectum habebat, qui sibi insidiaretur, cui etiam cum dictatore illo famoso Cornelio Sulla nomen commune erat. Jam a. 57 ad Neronem delatum est illum, qui *claritudine generis et adfinitate Claudi* excellebat, imperium petere[4]). Quamquam innocens erat, a Nerone exul Massiliae aevum agere coactus est.

---

[1]) Ibid.

[2]) Cf. Tac. ann. XIV 12. Dio Cass. LXI 15.

[3]) Cf. Tac. ann. XIV 22.

[4]) XIII 23.

Quantum autem Nero eum metuerit, et ex Tac. ann. XIII 47 et ex Pseudosen. Octav. v. 438 sq. cognosci potest:

Perage imperata: mitte, qui Plauti mihi
Sullaeque caesi referat abscisum caput.

464 sq. *Exilia non fregere summotos procul*
Plautum atque Sullam, pertinax quorum furor
Armat ministros sceleris in caedem meam.

Ille igitur Sulla Neroni in mentem revocabatur, cum v. 31 Eins. II audiret:

Sed procul a nobis infelix gloria Sullae.

Itaque v. 28 quoque sic intellego: Nulla iam femina puerum parit, qui tibi regnum eripere posset: Britannicus occisus, Sulla in exilium missus est. *Stolidum* vero *pecus* ad illos pertinet, qui cum Paeto Thrasea eum adulari nolebant. *Annua* autem *vota* optime quadrant ad *supplicationes* illas et *annuos ludos* a senatu decretos. Quare carmen si anno 60 vindicamus, multo dilucidius multoque efficacius fit, cum res modo gestas ante oculos ponat.

Carmen I ab omnibus fere viris doctis anno 64 tribuitur. Neronem citharoedum, qui Ἰλίου ἅλωσιν cecinerit, celebrari liquet. Illam vero Ἰλίου ἅλωσιν Neronem Roma flagrante cecinisse Tacitus Suetonius Dio Cassius memoriae prodiderunt[1]). Nihil ad hanc quaestionem refert, utrum re vera Nero tunc hoc carmen cecinerit necne. Sed ex communi testium consensu nihil aliud concludi potest quam anno 64 ἅλωσιν illam perfectam fuisse. Vix autem quispiam crediderit Neronem vel a pessimo adulatore propter hanc Romae flagrantis cum Troia comparationem collaudatum esse. Neque verisimile est eum post Romae incendium in theatro hoc opus cecinisse, cum iam plebis odium in se concitatum sentiret pessimisque artibus avertere studeret[2]). Certe autem carmen hoc, quod a poeta laudatur, νόμος κιθαρῳδικός erat. Cum annus 64 terminus sit, ante quem compositum est, nunc inquiramus, num terminus quoque, post quem ortum sit, certius significari possit.

---

[1]) Tac. ann XV 39. Suet. Ner. 38. Dio Cass. LXII 18.
[2]) Cf. Groag ap. Pauly-Wissowa III 1. p. 1379.

Musicam artem Neronem iam inde a puero exercuisse docet Suet. cap. 20 *Inter ceteras disciplinas pueritiae tempore imbutus et musica, statim ut imperium adeptus est, Terpnum citharoedum vigentem tunc praeter alios arcessit diebusque continuis post cenam canenti in multam noctem assidens paulatim et ipse meditari exercerique coepit neque eorum quicquam omittere, quae generis eius artifices vel conservandae vocis causa vel augendae factitarent.* Sed etiam poeticae arti iam puer studuit cf. cap. 52: *Liberalis disciplinas omnis fere puer attigit . . . Itaque ad poeticam pronus carmina libenter ac sine labore composuit nec, ut quidam putant, aliena pro suis edidit.* Primis vero imperii annis *recitavit et carmina, non modo domi, sed et in theatro tanta universorum laetitia, ut ob recitationem supplicatio decreta sit eaque pars carminum aureis litteris Jovi Capitolino dicata* (cap. 10).

Quas res iam puer versibus tractandas vel canendas sibi proposuerit, concludere possumus ex cap. 7: *pro Rhodis atque Iliensibus Graece verba fecit*[1]. Puerum igitur iam Neronem mentem ad Troiae casum convertisse videmus neque miramur, quod quo erat ingenio immodico et immodesto, statim summos poetas aequiperare vel superare studuit. Neque dubium mihi esse videtur, quin iam ante annum 60 carmen composuerit, quo Troiam cecinit. Itaque nihil obstat, quin carmen I quoque anno 60 attribuamus.

Sed priusquam ad Lucani laudes Neronis revertamur, breviter de altero Neronis studio dicendum est, artem dico aurigandi: cf. Suet. cap. 22 *Equorum studio vel praecipue ab ineunte aetate flagravit plurimusque illi sermo, quamquam vetaretur, de circensibus erat.* Et paulo infra *Mox et ipse aurigare atque etiam spectari saepius voluit.* Quae libidines, *quas male coercitas qualiscumque matris reverentia tardaverat,* illa occisa apertissime prodierunt. Cf. Tac. XIV 14: *Vetus illi cupido erat curriculo quadrigarum insistere, nec minus foedum studium cithara ludicrum in modum canere. Concer-*

---

[1]) Cf. Tac. ann. XII 58. Calp. I 45 *maternis causam qui vicit Iulis.*

tare equis regium et antiquis ducibus factitatum memorabat, idque vatum laudibus celebre et deorum honori datum. Enimvero cantus Apollini sacros, talique ornatu adstare non modo Graecis in urbibus sed Romana apud templa numen praecipuum et praescium. Sed ne in scaenam publicam descenderet, stadium in valle Vaticana et theatrum peculiare in hortis trans Tiberim sitis exstructum ei est, ubi omne fere tempus cum amicorum cohorte ipse et aurigans et carmina decantans degebat. Anno autem 60 non iam se continuit, quin quinquennali ludicro instituto Romae ipse in scaenam prodiret [1], quod nullus ante eum imperator ausus est. In hoc autem certamine, ut iam supra vidimus, a Lucano laudibus celebratus est.

Quid autem Lucanus his carminibus in Nerone maxime efferre potuit? Eodem anno in Pharsaliae prooemio primum Neroneam aetatem nisi cladibus belli civili acceptis apparere non potuisse canit, deinde Neronem cum Jove vel potius Phoebo Solis currui insistente comparat. Nonne verba illa Suetonii *quia Apollinem cantu, Solem aurigando aequiperare existimaretur* dilucide demonstrant, quam arte Pharsalia et carmina Einsidlensia anno 60 optime congruentia cohaereant? Num vero quispiam credet Lucanum alterum sibi poetam imitandum proposuisse? Eumque forte etiam Stoicum nec non earundem legum metricarum sectatorem observantissimum fuisse [2]? Credat Judaeus Apella. Lucanus non alterum poetam sed se ipsum imitatus est vel potius, quod omiserat, in Pharsalia supplevit; carmina igitur Einsidlensia eius sunt laudes Neronis [3].

---

[1]) Cf. Tac. ann. XIV 21. Suet. Ner. 21.

[2]) Eundem etiam similem in modum nimia cum cura singulas partes todidem versibus exaravisse infra in cap. III ostendetur.

[3]) Hosius, quamquam summae meae argumentationis minus reduclus, tamen hoc loco, quod novum argumentum videri possit, mihi donavit. II30 legimus ***tardoque puer domifactus aratro.*** Verbum ***domifactum*** non invenitur nisi hoc loco et in eadem verborum copulatione apud Petronium 99 ***aratro domefacta tellus.*** Petronium contra Lucani rationem epicam pugnavisse scimus illius verbis sententiisque usum et abusum;

Nunc intellegimus, cur Lucanus in Pharsalia Neronem non induxerit ut Apollinem Troiae excidium canentem. Nolebat sua ipsius poemata imperatoris carminibus opponere, quippe quibus etiam Vergilius superatus esset ita, ut opus suum deleret.

Haud scio an imperator ipse ita cum Apolline et Sole ab iuvene illo, quem in amicorum cohortem receperat, comparari voluerit. Sed postquam a maximo sui temporis poeta ita summis praeconiis elatus et paene obrutus est, nullam iam moderationem adhibuit. Ipse ut Apollo Citharoedus vestiebatur et colosso, quem extruxit, ut Solis rector repraesentabatur. Posterioribus vero annis, cum iam *Apollinem cantu, Solem aurigando aequiperare existimaretur,* etiam Herculis facta imitari voluit (Suet. cap. 53). *Sub exitu quidem vitae palam voverat, si sibi incolumis status permansisset, proditurum se partae victoriae ludis etiam hydraulam et choraulam et utricularium ac novissimo die histrionem saltaturumque Vergili Turnum.* Videmus igitur carmen I optime anno 60 convenire; tunc enim haec Neronis cum Apolline comparatio nova erat atque recens, cum postea in ore omnium esset (cf. Dio Cass. LXI 20.).

Amicitiam Neronis et Lucani diuturnam non fore facile ex fervido iracundoque iuvenis ingenio et ex Neronis invidia divinari potuit. Inprimis autem multum aberat, ut novo carmine epico Lucanus favorem imperatoris retineret, cum in illo Juliae gentis conditor ille clarissimus detrectaretur eiusque dignitas haud leviter carperetur. De deminuta et rupta eorum amicitia Suet. in vita Lucani haec memoriae prodidit: *Non tamen permansit in gratia: si quidem aegre ferens, quod Nero se recitante subito ac nulla nisi refrigerandi sui causa indicto senatu recessisset, neque verbis adversus principem neque factis excitantibus post haec temperavit . . . Sed et famoso carmine cum ipsum, tum potentissimos amicorum gravissime proscidit.* Magnopere dolendum est, quod hoc

---

qui Lucani manu conscripta esse carmina bucolica sibi persuasit, facile Petronium illud verbum ex illo carmine mutuatum esse ut putet a se impetrare poterit.

carmen periit, certe enim illo Lucanus laudes illas, quas antea in Neronem cumulaverat, retractare et in irritum vindicare voluit. Sed si septem Pharsaliae libros perlegimus poeta iam mortuo editos, quale carmen illud fuerit, animo nobis effingere difficile sane non est. Nonnullis enim locis poeta praesentia tempora aperte designans acerbe imperatorem illudit. Carmine bucolico priore Neronem cum Jove comparatum videmus, qui est caeli mens totum mundum amore permiscens. Eandem mundi mentem Lucanus in libro IV adloquitur, postquam parvam laborum et scelerum belli remissionem factam esse demonstravit, manifeste suorum temporum ratione habita IV 189 sq.:

Nunc ades, aeterno conplectens omnia nexu,
O rerum mixtique salus concordia mundi
Et sacer orbis amor; magnum nunc saecula nostra
Venturi discrimen habent. Periere latebrae
Tot scelerum . . . .
. . . . *Pro numine fata sinistro*
Exigua requie tantas augentia clades!

Praesentibus igitur temporibus adesse dicitur ille amor vel illa pax, quae per totum mundum perfundatur. Sed poeta hanc pacem non aeternam fore praesagit: maiora scelera iam oritura sunt et fatum sinistrum accusatur, quod propter exiguam requiem tot scelera admiserit. Quae verba dilucide illis respondent, quae in libro I legimus:

32 sq. *Quodsi non aliam venturo fata Neroni*
Invenere viam magnoque aeterna parantur
Regna deis
37 sq. *Jam nihil, o superi, querimur, scelera ista nefasque*
Hac mercede placent.

Libris autem sequentibus multo acrius Neronem cavillatur: iam parva quies quoque periit; acerbissima servitus imperium Neronis est: cf. VII 638 sq.

Maius ab hac acie, quam quod sua saecula ferrent,
Volnus habent populi; plus est, quam vita salusque,
Quod perit: in totum mundi prosternimur aevum,
Vincimur his gladiis omnis, quae serviat, aetas.
Proxima quid soboles aut quid meruere nepotes

In regnum nasci? pavide num gessimus arma
Teximus aut iugulos? alieni poena timoris
In nostra cervice sedet. Post proelia natis
Si dominum, fortuna, dabas, et bella dedisses.

Quantum hi versus a libro I et carmine Eins. II distant!

Hoc loco poeta etiam illud revocat, quod olim Neronem numen vel praesens vel futurum finxit, VII 455 sq.:

Cladis tamen huius habemus
Vindictam, quantam terris dare numina fas est:
Bella pares superis facient civilia divos;
Fulminibus manes radiisque ornabit et astris
Inque deum templis iurabit Roma per umbras.

Sed vesano illi imperatori, qui in carmine I Homerum aequiperare, Vergilium superare videtur, laudem quoque carminum laureamque Apollinarem detrahere studuit: Caesarem, qui ruinas Troiae visit, adloquitur et admonet, ut invidiam vitet; quae verba ita a poeta formata sunt, ut ad Neronem quoque pertinere possint. Nero enim, quippe qui praeter Halosin Ilii Τρωϊκὰ ἔπη quoque composuisset, illa verba ad se pertinere arbitrari debebat, quae legimus XI 980 sq.:

O sacer et magnus vatum labor, omnia fato
Eripis et populis donas mortalibus aevum.
Invidia sacrae, Caesar, ne tangere famae;
Nam, si quid Latiis fas est promittere Musis,
Quantum Zmyrnaei durabunt vatis honores,
Venturi me teque legent.

Quae omnia in Neronem dicta esse videntur; sed iam ita pergitur:

Pharsalia nostra
Vivet, et a nullo tenebris damnabimur aevo.

Ampla hac ac solemni adlocutione Caesaris, qui reliquis locis a poeta irridetur, Lucanus eos, qui legebant, in hunc errorem induci voluisse videtur. Neque enim intellegi potest, cur Lucani Pharsalia C. Julio Caesari invidiae sit.

Aliis locis poeta praesentium temporum crimina perstringit, velut IV 373, ubi graviter in luxum invehitur, cum V 527 et VIII 242 paupertatem laudibus efferat.

Libertas vero praesentis temporis hoc quoque loco irridetur IX 1106:

Abscondunt gemitus et pectora laeta
Fronte tegunt hilaresque nefas spectare cruentum,
O bona libertas! cum Caesar lugeat, audent.

Conferenda quoque est oratio Pothini VIII 484 sq., inprimis vv. 491 sq., qui ad matris caedem pertinent:

Libertas scelerum est, quae regna invisa tuetur,
Sublatusque modus gladiis. Facere omnia saeve
Non inpune licet, nisi cum facis. Exeat aula,
Qui volt esse pius. Virtus et summa potestas
Non coeunt; semper metuet, quem saeva pudebunt.

Deinde VI 719 sq. spectare videntur ad illam Agrippinae manium evocationem, cuius Suet. Ner. cap. 34 mentionem facit: *Neque tamen conscientiam sceleris, quamquam et militum et senatus populique gratulationibus confirmaretur, aut statim aut umquam postea ferre potuit saepe confessus exagitari se materna specie verberibusque furiarum ac taedis ardentibus. Quin et facto per magos sacro evocare manes et exorare tentavit.*

Caput III.

In capite hoc ultimo, quam supra promisi, novam ex parte interpretationem carminum pessime traditorum proponere audeo. Initium vero a carmine II facere liceat, cuius forma magis perspicua est quam carminis I.

Carmen hoc II dialogus est Glycerani et Mystae, in cuius parte altera (vv. 1—14) Glyceranus Mystae persuadet, ut taciturnitatem suam mittat. Qua re Mystes commotus iam in parte altera (vv. 15—38) Glycerano indicat, qua cura animus sollicitetur.

Hanc quoque partem, quae in codice uni Mystae tribuitur, dialogum esse videbimus.

Atque primum vv. 2 et 3 interpolatos esse censeo. Plane enim propter loquacitatem a taciturnitate Mystae abhorrent, quae verbis brevibus et abruptis designatur (cf. vv. 1b. 4b. 5b. 6a. 7.) Versus hi omnino nihil aliud continent nisi uberiorem explanationem v. 1b.: *curae mea gaudia turbant,* a librario quodam propter similitudinem in margine annotatam, quae postea in textum inserta est. Quod etiam cognosci potest ex vocabulis *dapes* et *pocula,* quae ad usum et sermonem pastorum non quadrant (cf. Serv. ad Verg. Aen. I 706. III 224).

Vv. 11 et 12 Mystes, cum diutius resistere non possit, quales quantaeque curae suae sint, exponere parat. Sed ne sole vexentur, ut secum umbram petat, amicum monet.

Vv. 13. 14 recte in codice Glycerano tribuuntur neque v. 13, quod Buecheler Hagen reliqui voluerunt, cum v. 12 coniungendus est. Nam poeta hic Calp. ecl. VI 69 sq. imitatur, ubi eandem condicionem invenimus: alteri pastori, bui ut antrum peterent proposuit, alter haec respondet:

Venimus et tacito sonitum mutavimus antro.

Itaque in v. 13 *vetimus et* neque cum Hageno in *En thymus* neque cum Buechelero in *Ulmus et in* mutandum est, sed *Venimus et* scribendum esse arbitror. Inde sequitur v. 12, qui caret subiecto, aliter sanandum esse. Mihi quidem correctura facillima esse videtur, si pro *tremula* scribimus *tremulus*. *Tremulus* enim genus arboris populeae est appellatum a foliorum tremore. Quod vocabulum etiamsi apud scriptores non servatum est, tamen in usu fuisse ex voce *tremble* Francogallorum elucet. Sed fortasse nihil mutandum, sed illud *Quae spargit ramos* pro subiecto (= arbor) sumendum est.

Videmus igitur hoc exordium a poeta summa cum diligentia dramatice compositum esse. Glyceranus Mystam morosum et taciturnum interrogat atque percontatur; at semel iterumque rustico fere modo repellitur. Neque vero desistit, sed magis magisque instat, donec ille sibi secreta revelet. Utrique autem personae idem versuum numerus tribuitur. Primum uterque bis dimidium versum recitat (vv. 1 et 4), deinde dimidii versus eo ordine ponuntur, ut Mystae verba se subsequantur Glycerani sententiis inclusa (vv. 5. 6.). Tum bis singulos versus proferunt (vv. 7 et 9, 8 et 10), denique utrique bini versus dantur (vv. 11. 12 et 13. 14.). V. 1 prior Glyceranus Mystam adloquitur, Mystes respondet; qui ordo optime in vv. 5 et 6 mutatur, cum postea necesse sit Mystam primum curas suas exponere, quibus perceptis Glyceranus eum consolatur. Moribus autem personarum etiam nomina adaptata esse quivis videt.

Nunc ad alteram huius carminis partem, quae summam complectitur, animum attendamus. Qua in parte aetas aurea in Neronis imperium reversa laudibus effertur. Omnes vero editores codicis auctoritatem secuti hos versus uni personae (Mystae) attribuerunt, quamquam ex auctoris ipsius verbis signa aperta dialogi colligi possunt. Illud inprimis Hageno auctore effectum est, qui cum primus carmen ederet, v. 23 in codice corruptum falso emendavit. Ita factum est, ut plerique editores carmen lacunosum esse censerent, cum Glycerani responsum desiderarent.

Mystes, postquam praesentium temporum bona descripsit[1]), interrogat, num dubitari possit, quin aetas aurea reverterit. Optime haec interrogatio ad mores eius quadrat. Vv. 22 et 23 summam carminis continere, i. e. curas Mystae, recte cognovit Hagen[2]). Nunc videamus, quomodo v. 23, qui in codice legitur ita:

Saturni rediere dies redit astrea certos,

corrigendus sit. Quem versum valde mendosum esse inde apparet, quod *Astraea* suo loco in versu esse non potest, cum longa syllaba ‚ae' in thesi posita corripiatur. Itaque Hagen versum ita emendabat:

Saturni rediere dies Astraeaque virgo.

Haud recte tamen *certos*, quod cod. praebet, in *virgo* mutavit. Sed ad versus duos antecedentes desideramus infinitivum, qui ad *negat* pertineat. Nam ‚negare alci. alqd.' est *jemandem etwas verweigern, abschlagen,* non *leugnen,* id, quod sensus postulat. Itaque v. 23 hoc modo emendandum esse censeo:

Saturni rediisse? Gl. *Redit*[3]) *Astraeaque certo*
Totaque . . . . .

Nam vocabula *certo* et *Tota*, quod Baehrens inepte in *Tuta* mutavit, verbis sequentibus responsum alterius personae contineri indicant. Illud *dies* vero ex coniectura supra scripta $\left(\frac{\textit{dier}}{\textit{rediisse}}\right)$ ortum est.

---

[1]) In v. 15 pro *fagus*, quod codex praebet, scribendum esse *Bacchus* recte iam Hagen coniecit, quamquam falso hunc versum interpretatus est (Fleck. Jb. 1871, pag. 151). Sed res lucem accipit comparatis his locis: Cat. de agr. 120 *in amphoram mustum indito et corticem oppicato* et Hor. carm. III 8, 9 sq.

Hic dies anno redeunte festus
Corticem adstrictum pice demovebit
Amphorae.

Cortex igitur amphorae, non ulmi est, ex qua Bacchus diffunditur.

[2]) p. 149.

[3]) Haec coniectura Radermacheri est. Ipse olim *Saturnique redisse dies?* Gl. *Astraeaque certo* scripseram. De producta syllaba ‚it' cf. Lachm. ad Lucr. III 1042. Astrae*aque* . . . Tot*aque*: *que* . . . *que* pro *et* . . . *et* saepius apud poetas invenitur.

A versu 23 b igitur responsum Glycerani incipit, qui et curas Mystae pellit et ipse suam aetatis aureae descriptionem priori opponit (vv. 23b—31).

In versibus vero sequentibus nova interrogatio adhibetur, quam Mystae esse iam ex indignatione apparet *Sed procul a nobis* etc. (vv. 32—34). Neque enim Mystae animus iam plane placatus est, sed rursus bella civilia in mentem revocat. A Glycerano autem vv. 35 sq. curae eius prorsus pelluntur: praesenti tempore non solum ab hominibus nihil timendum esse, sed etiam res inanimas et bestias hominibus inservire[1]). V. 38 ex Verg. ecl. IV 10 sumptus est. Mea quidem sententia versus hic ab utroque pastore simul recitatur (vel canitur), quod infra argumentis gravioribus confirmabo.

Sed paulisper subsistamus et carmen respiciamus. Utraque persona easdem partes, quas in exordio habuit, in parte altera, cui peculiare nomen ‚carminis' convenit, tenet. Mystes curas suas aperit: ubi virtutes praesentis temporis descripsit, summa cum indignatione interrogat, num dubitari possit, quin aetas aurea reverterit. Quod Glyceranus statim refutat et ipse praesentia tempora laudat. Eodem modo in parte sequenti bona praesentia malis praeteritis opponuntur: ultimus vero versus carminis summam continet:

Casta fave, Lucina: tuus iam regnat Apollo!

Eadem arte, qua in exordio poeta usus est, in carmine quoque utrique personae eundem versuum numerum concessit: primum uterque pastor versus octonos et dimidium recitat, deinde trinos.

Nunc ad carmen I nos convertamus. Jam supra commemoravi Knickenbergium recte cognovisse prius carmen esse amoebaeum. Sed in versibus singulis personis tribuendis errasse eum puto. Carminis *amoebaei leges vel potius condiciones hae sunt in universum, ut is qui ab altero provocatus et lacessitus est, provocanti iisdem, quoad fieri potest,*

---

[1]) Haud scio an non in v. 37 pro *saeva* scribendum sit *curva*, cf. Ov. fast. IV 215

cur huic genus acre leonum
Praebeat insolitas ad iuga curva iubas.

verbis suum in commodum mutatis respondeat et aut contrarium aliquid dicat aut evidentius et pulchrius. Quibus verbis Fritzschii (Theocr. p. 155) subiungo Servii ad Verg. ecl. III 59 adnotationem: *In amoebaeo enim carmine difficilior pars respondentis est, qui non pro suo arbitrio aliquid dicit, sed aut maiorem aut contrariam format responsionem.* Has leges, cum a Theocrito et Vergilio tantum in amoebaeis carminibus ipsis adhibitae sint, poeta exordio summa cum diligentia inculcavit. Qua in parte ea versuum distributio, quam codex praebet, recta esse non potest.

Auctor duos pastores inducit inter se altercantes, qui iudicem certaminis Midam opportune inveniunt. Postquam Midae alter pastor Thamyras arbitri munus obtulit, quod ille se accepturum esse promittit, Midae, non Thamyrae, alter pastor Ladas praemiis non propositis concertari non posse opponit[1]).

V. 5 igitur universe dictus est: ubi nulla praemia sunt, nullus stimulus artis est, ita ut muta maneat. Quod ne accidat, in v. 6. monetur, ut pignora deponantur, quibus *fides durare cogatur.*

V. 6 igitur ita intellegendus est: ‚Nostra fides cogetur durare ea re, quod nos duo pignora deponemus, quae victori cedent.'

Duo enim pignora sunt, Ladae unum et Thamyrae unum; neque enim alia condicione certamen esse potest.

Itaque vv. 5 et 6 artissime inter se cohaerent neque duobus hominibus tribui possunt: ubi nulla praemia sunt, ars muta est. Nos autem duobus pignoribus depositis cantare cogemur.

Versus tres, qui sequuntur (7—9), cum antecedentibus nullo modo coniungi possunt. Vulgo ita eos editores interpretati sunt, ut duo pignora caprum et fistulam esse dicerent. Sed ut iam supra monui, duo pignora singula sunt utriusque pastoris. Contra in vv. 7—9 de unius pastoris pignore verba fiunt (cf. *vel—vel*); qui loquitur, deliberat, utrum caprum an fistulam pignus deponat.

[1]) Neque enim poeta, ut Hagen aliique censuerunt, alterum pastorem, sed praemia cessare dicit.

Primo obtutu sententia lacunosa videtur esse: Exspectamus enim vv. 7—9 continuari verba *pignus meum erit* (scil. caper vel fistula), sed qui loquitur, ab altero pastore interrumpitur, qui ita suae arti et facultati confidit, ut alteri concedat, utrum pignus eligatur: utrum uterque caprum an fistulam deponat. Nimia illa brevitas responsionis cupiditate adducta est: vv. 7—9 enim et 10—12 artissime inter se respondent. Responsio autem ea re efficitur, quod pastor alter iisdem fere verbis utitur, sed sensu ita mutato, ut alterum superet. Praeterea et apud Vergilium et apud Theocritum invenimus exempla, in quibus alter pastor primum pignus aliquod proponit; quo reiecto alterum eligit. Videmus igitur poetam, qui carmina illa bucolica imitatus est, has duas res mittere noluisse. Sed cum carminis summa non in exordio sed in parte altera sit, qua imperator celebratur, partem priorem nimis brevem fecit, ita ut obscurior sit.

Vv. 13 et 14 monetur, ut missa rixa carmen incipiat.

In parte sequenti pastores indicant, quid et cur cantare velint. Midas autem eos monet, ut iam carmen reddere pergant.

Versibus 15. 16 oppositi sunt versus 17. 18. Responsio autem ea est, ut pastor alter pulchrius vel elatius aliquid dicat: prior *laudes Caesaris* in universum se cantaturum esse promittit, alter imperatoris *chelyn* celebrare vult. Sperat ille se praemia impetraturum esse, alter mercedem non curat; illum *mens* ad cantandum duxit, hunc vero deus ipse incitavit. Midas, ubi audivit Caesarem ab utroque cantatum iri, optat, ut deus ipse pastores certantes adiuvet.

Sed nunc videamus, quomodo inter singulas personas hi versus distribuendi sint. Recte in codice vv. 1. 2 Thamyrae, vv. 3. 4 Midae tribuuntur. Contra in vv. 5. 6 codicis scribam erravisse iam vidimus; nam hi versus neque seiungendi, neque cum sequentibus versibus copulandi sunt. Itaque hoc exordium (vv. 1—21) facile dividitur in partes tres sibi respondentes:

I.	1. 2. —	3. 4. —	5. 6.
II.	7—9. —	10—12. —	13. 14.
III.	15. 16. —	17. 18. —	19—21.

Has partes ut recte inter singulos distribuamus, subsidio utimur nominibus. Iudici certaminis Midae nomen est. Accepimus Midam regem Phrygiae certamini Apollinis et Panis arbitrum interfuisse.

Pastorum alteri Thamyras, alteri Ladas nomen est. Illius nomen derivatum est de vate illo Thracum celeberrimo. De Lada nihil fere scimus, nisi de cursore illo, cuius saepius apud scriptores Graecos et Romanos mentio fit, cogitamus. Midae vero nomen optime ad munus, quo in carmine fungitur, quadrat. Neque veri dissimile duco poetam, ubi certamen Thamyrae et Ladae sub iudice Mida induxit, horum pastorum differentiam eandem vel similem statuere voluisse, quae inter Apollinem et Panem coram rege Phrygio certantes fuit. Quod si recte se habet, Thamyram omnium vatum vel celeberrimum cum Apolline, Ladam cum Pane comparabimus.

Sed ad ipsa verba revertamur: vv. 15. 16 et 17. 18 uterque pastor mores suos atque indolem animi describit: alter poeta est, qui in versibus conscribendis laborat (cf. *labori* v. 16), qui mente, i. e. spe praedae commotus canit, alter autem vates dei plenus, qui summum artis praemium in carminibus suis invenit. Si modo poeta singulis nomina indoli ingenii et animi apta dare voluit, quod quidem in carm. II et in Mida fecit, codicis notae personarum recte se habere non possunt: vv. 17. 18 tantum Thamyrae, vv. 15. 16 Ladae[1]) tribuendi sunt. Eandem vero praedae aviditatem, quam Ladae verbis (vv. 15. 16) inesse cognovimus, in vv. 5. 6 et in vv. 10—12 invenimus. Cum haec verba a Thamyra abhorreant neque ad Midam quadrent, sequitur hos etiam versus Ladae esse. Quae ubi perspeximus, facile iam reliqua expediemus: apparet enim vv. 10—12 Thamyrae, vv. 13. 14 Midae adscribendos esse.

Itaque ordinem personarum in exordio habemus hunc:

I.

1. 2.	Thamyras	pastor	2 versus
3. 4.	Midas	iudex	2 „
5. 6.	Ladas	pastor	2 „

[1]) Dubito an conferri possit Schol. ad. Iuv. sat. XIII: *Ladas nomen est cuiusdam pauperrimi cursoris.*

II.

7—9.	Thamyras	3 versus
10—12.	Ladas	3 „
13. 14.	Midas	2 „

III.

15. 16.	Ladas	2 „
17. 18.	Thamyras	2 „
19—21.	Midas	3 „

Videmus igitur poetam summa cum subtilitate hoc exordium expolivisse: singulis septeni versus dati sunt.

Restat, ut paucis ostendam, quomodo personarum notae tantopere turbatae sint. Vv. 7—9 propter nimiam brevitatem non satis intellectos cum versu antecedenti male coniunxisse scribam apparet; praeterea *sed* particula (v. 6) contrarii aliquid ab altero pastore induci verbis versus 5 oppositum arbitrabatur. Itaque vv. 6—9 Ladae, v. 5 Thamyrae tribuit. Qua perturbatione facta iam reliquae notae suum locum tenere non potuerunt.

Carminis subsequentis, quod est de laude Neronis, partes sex sunt:

I. Invocatio deorum (vv. 22—25).
II. Neronis cum dis comparatio (vv. 26—33).
III. Musae (vv. 34—37).
IV. Troia (vv. 38—41).
V. Homerus (vv. 42—47).
VI. Vergilius (vv. 48. 49).

Quas partes omnes poeta inter duos pastores distribuit leges secutus carminum amoebaeorum. A codicis autem scriba notae personarum plerumque omissae sunt; tamen ubi exstant, suo loco sunt (v. 23 Th. 26 La. 36 Th.).

Pars prima invocationem deorum continet. A Lada Jovem adiutorem arcessi iam dudum viri docti ex verbis eius et ex v. 20 perspexerunt. Ante v. 22 scribae neglegentia nota pastoris excidit, preces ad Apollinem factas recte codex tribuit Thamyrae. Huius sunt tres versus (23—25), illius unus (22), quod legibus supra dictis refragatur; accedit dictio aequo obscurior. Itaque recte viri

docti inter vv. 22 et 23 lacunam statuerunt duorum versuum eamque codice ipso indicari Knickenberg ostendit. Scriba enim, qui semper duos versus in una linea coniunxit, versibus 23 et 25 solis singulas lineas concessit. Itaque non solum hic, sed etiam infra lacunam hiare mihi persuasi.

Quid post v. 22 exciderit, haud ita bene efficere possumus. Verisimile autem est similibus verbis ibi imploratum esse a Lada Iovem sicut a Thamyra Apollinem.

V. 23 sq: Si tibi, Phoebe, lyram temptare placet, virgo (sc. Pythia) canere cogitur. Ita vates quoque a te concitatus cantat.

In vv. 26—33 Nero cum his duobus deis comparatur. Hanc etiam partem mutilatam esse modo ostendi. Sed lacunam potius inter v. 26 et v. 27, quam inter v. 25 et 26 statuerim; exciderunt haec fere verba: nam re vera deum, non hominem nuper in terra psallentem et canentem vidimus. Sensus verborum hic est: utrique deo imperator similis est, Jovi propter potentiam, Phoebo propter artem canendi. Cum autem hoc carmine auctor Neronem praecipue citharoedum celebrare velit, etiam illi cum Jove comparationi multa immiscet, quae ad cantum et musicam pertinent (cf. *intonuit* de sonitu lyrae dictum, *artificis zonas*).

Eadem ratione poeta in reliquis partibus versus inter singulos pastores distribuit. Quam prior intulit rem, alter excipit, ita ut Thamyras elatione quadam et altitudine orationis utatur eiusque sententiae etiam propter pulchritudinem Ladae verba superent. Quod optime in parte sequenti (vv. 34—37) cognoscitur, in qua Musae inducuntur, quae divino quasi ludo et cantu allectae advenerunt. Ladas primum pedestri fere sermone haec dicit: dei si omnino sunt, vocem hanc habent. Etiam Musae huius vocis et citharae modulis alliciuntur. Contra Thamyras multo vivacius Musas quasi praesentes per apostrophen adloquitur. Videmus igitur vv. 34. 35 et 36. 37 artissime inter se respondere.

In parte sequenti (vv. 38—41), quid Nero cecinerit, comperimus: Troica quaedam poemata erant, quibus gaudere Troia iubetur. Ladas eadem figura apostrophae usus Troiam

adloquitur, Thamyras, ut eum vincat, Troiae etiam sensum gaudii dat. (Responsio his verbis indicatur: *cineres: ruinae, tolle: tollit, Tu tolle: vester vos tollit alumnus.*)

In proxima parte (vv. 42—47) Homerus inducitur tamquam accurrerit, ubi nova Troica carmina cantari audivit. Desunt autem culpa bibliopegi male cultro abusi v. 42 totus et sequentis pars dimidia. Pastori autem utrique trinos versus datos esse verba respondentia indicant, quae iam Knickenberg recte observavit: *alba: candida, caesaries: Caesareum, pleno: implevit.*

Quamquam complura verba exciderunt, tamen Ladam a Thamyra superatum videmus, qui summa usus adulatione Neronem ab Homero ipso coronatum esse canit.

Sed maior est adulatio, quae in vv. 48. 49 sequitur: Vergilius ipse carmina sua delet, ubi maiora Caesaris audivit. Hi versus duo nullam responsionem habent. Neque enim verisimile est finem carminis scribae neglegentia interiisse, id quod iam Buecheler recte cognovit: pag. 237 *(... schließen muß, weil der Gedanke, daß Nero das Höchste in römischer Dichtung überboten, und das reizende Bild, welches den Gedanken ausmalt, keinerlei Anhängsel gestattet.)* Itaque facere non possum, quin hos versus, ut II 38, ab utroque pastore simul cantatos esse credam. Neque enim carmen hoc cum certaminibus, quae apud Theocr. et Verg. pastores instituunt, omnino consentit, sed per se carmen hoc simplex et unum est, cuius rei exemplum tam praecipuum apud poetas bucolicos non invenimus. Carmen autem hoc, i. e. laus Neronis citharoedi, potius cum hymnis in laudem deorum compositis comparaverim. Sed poeta, ut opus quoddam artificiosius exstrueret, carmini vestem quasi dramaticam induit. Iam apparet formam tantum ex similibus Theocriti et Vergili carminibus petitam esse. Neque enim hic de certamine re vera agitur. Re vera neque Ladas neque Thamyras pignus deposuerunt, itaque etiam Midae iudicium supervacaneum est. Carmen enim peculiare laudem Neronis continet, exordium vero, quod propterea tantum anteponitur, ut duo hoc carmen cantent, multo minoris momenti est.

Ita etiam fieri potuit, ut finis ab utroque pastore simul caneretur[1].

Sed fortasse haec difficultas hoc modo tolli potest. Scimus sub personis pastorum in carminibus bucolicis saepius aequales poetas latere. Quaerenti igitur, quemnam poeta in Mida iudice describere voluerit, nonnulla argumenta mihi obviam se dederunt, quae fortasse pondere non prorsus carent. Lucanum enim et in his carminibus bucolicis et in carmine epico imitatorem Calpurnii deprehendimus, cuius carmina annis 54—57 prodierunt.

cf. Eins. I 2	*da vacuam pueris certantibus aurem.*
Calp. IV 47 sq.	*non ipse daret mihi forsitan aurem, Ipse deus vacuam.*
Eins. I 13	*Quid iuvat insanis lucem consumere verbis?*
Calp. VI 27	*Sed quid opus vana consumere tempora lite?*
Eins. II 1	*Quid tacitus Mystes?*
Calp. IV 1	*Quid tacitus Corydon?*
Eins. II 13	*Venimus et tenero*
Calp. VI 69	*Venimus et tacito*
Eins. II 16	*inbuat aras*
Calp. II 67	*inbuat aras*
Eins. II 22	*aurea regna*
Calp. I 64	*Altera Saturni referet Latialia regna.*
I 42	*Aurea secura cum pace renascitur aetas.*
Eins. II 26	*pecus errat in herba*
Calp. V 5	*Quas errare vides inter dumeta capellas.*

Luc. I 3	*In sua victrici conversum viscera dextra*
Calp. I 48	*In sua vesanos torquebit viscera morsus*

(sed vide Hosius, De imit. poet. Rom. Gryphiae 1907 p. 17)

---

[1]) Legimus in Donati vita Verg. 41 haec: ***Bucolica eo successu edidit, ut in scaena quoque per cantores crebra pronuntiatione recitarentur.*** Atque consentaneum est talia carmina velut Verg. ecl. III, cui carmina Eins. simillima sunt, ubi in scaena recitata sunt, eodem modo acta esse atque comoedias et tragoedias; carmina igitur peculiaria velut cantica decantabantur. Haec vero carmina in scaena recitata esse testantur Statius et Vacca qui dicitur. Ita etiam fieri potuit, ut velut tragoediarum chori, cantores simul canerent.

Luc. VIII 733	*feralis pompa triumphos*
Calp. I 60	*feralis pompa senatus*
Luc. III 282	*solvens ieiunia belli*
Calp. IV 35	*ieiunia solvere fago*
(sed cf. Ov. f. IV 607 m. V 534)	
Luc. IX 1001	*urguente procella*
Calp. IV 98	*urguente procella*
Luc. II 465	*audito . . . nomine Sulla*
Calp. IV 109	*audito nomine tellus*
Luc. V 415	*Perfida . . . . inconstantia veris*
Calp. V 45	*vernum Iovis inconstantia tempus*
Luc. VI 403	*calidae percussit pondera massae*
Calp. V 82	*durae quoque pondera massae*
Luc. IX 624	*fervida tellus*
Calp. V 86	*fervida tellus*
Luc. VI 455	*turgentia suco*
Calp. V 114	*turgentia suco*

Certe igitur Lucanus Calpurnii eclogas optime memoria tenuit. Iam vero Ladam pastorem praedae avidissimum esse vidimus, qui non nisi spe praemiorum incitatus Caesarem laudat: quod haud male in Calpurnium quadrat; cf.

IV 152 sq. *O mihi quae tereti decurrent carmina versu*
Tunc, Meliboee, meum si quando montibus istis
Dicar habere Larem, si quando nostra videre
Pascua contigerit! vellit nam saepius aurem
Invida paupertas et dicit: ovilia cura!

VII 79 sq. *O utinam nobis non rustica vestis inesset:*
Vidissem propius mea numina! sed mihi sordes
Pullaque paupertas et adunco fibula morsu
Obfuerunt.

Lucanus igitur cum rem a Calpurnio tractatam ipse repeteret, in persona Thamyrae vatis veri, qui instinctu Apollinis canit, praemia non curat, se ipsum cum illo certantem induxisse videtur.

Midas vero huius certaminis arbiter haud scio an Nero ipse sit. In vita enim Persi haec scripta legimus *ut etiam Neronem principem illius temporis inculpaverit* (sc. Persius satiris). *cuius versus in Neronem cum ita se haberet* '*auriculas*

asini Mida rex habet' in eum modum a Cornuto ipso tantum nomine mutato est emendatus 'auriculas asini quis non habet?', ne hoc in se Nero dictum arbitraretur. Quae verba in scholio ad I 121 fere iterata a scholiasta quodam sciolo antiquae vitae addita esse viri docti existimabant, cum non intellegerent, cur Nero hunc versum ad se pertinere arbitraretur. Facile autem id a. 62/63, quo editio satirarum a Cornuto vel potius Caesio Basso curata prodiit, credere poterat, si a. 60 Lucanus eum in persona Midae induxerat. Ita poeta ipse arbitrio cohibito imperatori commisisse videtur, ut iudicaret, uter poeta palma donandus esset.

Haec quamquam haud ita levia esse videntur, cautus tantum, ne temeritatis culpam contraham, et fere timidus adnoto.

I.

Thamyras. Midas. Ladas.

1. *Th.* Te, formose Mida, iam dudum nostra requirunt
2. Jurgia: da vacuam pueris certantibus aurem.
3. *Mi.* Haud moror et lusu nemoris secreta voluptas
4. Invitat calamos: imponite lusibus artem.
5. *La.* Praemia si cessant, artis fiducia muta est.
6. Sed nostram durare fidem duo pignora cogent.

7. *Th.* Vel caper ille, nota frontem qui pingitur alba,
8. Vel levis haec et mobilibus circumdata bullis
9. Fistula, silvicolae munus memorabile Fauni —
10. *La.* Sive caprum mavis vel Fauni ponere munus,
11. Elige, utrum perdas; et erit puto certius omen
12. Fistula: damnato iam nunc pro pignore dempta est.
13. *Mi.* Quid iuvat insanis lucem consumere verbis?
14. Judicis e gremio victoris gloria surgat.

15. *La.* Praeda mea est, quia Caesareas me dicere laudes
16. Mens iubet: huic semper debetur palma labori.
17. *Th.* Et me sidereo concussit Cynthius ore
18. Laudatamque chelyn iussit variare canendo.
19. *Mi.* Pergite, io pueri, promissum reddere carmen.
20. Sic vos certantes deus adiuvet! Incipe Lada
21. Tu prior: alternus Thamyras imponet honorem.

22. *La.* Maxime divorum caelique aeterna potestas
22a. * * * * * *
22b. * * * * * *
23. *Th.* Seu tibi Phoebe placet temptare loquentia fila
24. Et citharae modulis primordia iungere mundi:
25. Carminibus virgo furit et canit ore coacto.

26. *La* Fas mihi sit vidisse deos, fas prodere mundo
26b. * * * * * *
27. Seu caeli mens illa fuit seu solis imago,
28. Dignus utroque simul stetit ostro clarus et auro
29. Intonuitque manu.
Th. Talis divina potestas,
30. Quae genuit mundum septemque intexuit orbis
31. Artificis zonas et totum miscet amore,
32. Talis Phoebus erat, cum laetus caede draconis
33. Docta repercusso generavit carmina plectro.

34. *La.* Caelestes ulli si sunt, hac voce loquuntur.
35. Venerat ad modulos doctarum turba sororum.
36. *Th.* Huc, huc, Pierides, volucri concedite saltu!
37. Hic Heliconis opes florent, hic vester Apollo est!

38. *La.* Tu quoque, Troia, sacros cineres ad sidera tolle
39. Atque Agamemnoniis opus hoc ostende Mycenis.
40. *Th.* Jam tanti cecidisse fuit! Gaudete ruinae
41. Et laudate rogos: vester vos tollit alumnus.

42. *La.* * * * * * *
43. * * * plurima barba
44. Albaque caesaries pleno radiabat honore.
45. *Th.* Ergo ut divinis implevit vocibus auras,
46. Candida flaventi discinxit tempora vitta
47. Caesareumque caput merito velavit amictu.

48. *La.* Haud procul Iliaco quondam non segnior ore
49. *Th.* Stabat et ipsa suas delebat Mantua chartas.

II.

Glyceranus. Mystes.

1. *Gl.* Quid tacitus Mystes? *My.* Curae mea gaudia turbant.
4. *Gl.* Non satis accipio! *My.* Nec me iuvat omnia fari.

5. *Gl.* Forsitan imposuit pecori lupus? *My.* Haud timet hostes
6. Turba canum vigilans. *Gl.* Vigiles quoque somnus adumbrat.

7. *My.* Altius est, Glycerane, aliquid. Non, non patet. Erras.
8. *Gl.* Atquin turbari sine ventis non solet aequor.
9. *My.* Quod minime reris, satias mea gaudia vexat.
10. *Gl.* Deliciae somnusque solent adamare querellas.

11. *My.* Ergo si causas curarum scire laboras,
12. Quae spargit ramos, tremula nos vestiet umbra.
13. *Gl.* Venimus et tenero corpus summittere prato
14. Herba iubet. Tu dic, quae sit tibi causa tacendi.

15. *My.* Cernis, ut adtrito diffusus cortice Bacchus
16. Annua vota ferat sollemnisque inbuat aras?
17. Spirant templa mero, resonant cava tympana palmis.
18. Maenalides teneras ducunt per sacra choreas,
19. Tibia laeta canit, pendet sacer hircus ab ulmo
20. Et iam nudatis cervicibus exuit exta.
21. Ergo nunc dubio pugnant discrimine nati
22. Et negat huic aevo stolidum pecus aurea regna
23. Saturni rediisse?
Gl. Redit Astraeaque certo
24. Totaque in antiquos redierunt saecula mores.
25. Condit secura totas spe messor aristas,
26. Languescit senio Bacchus, pecus errat in herba.
27. Nec gladio metimus, nec clausis oppida muris
28. Bella tacenda parant. Nullo iam noxia partu
29. Femina, quaecumque est, hostem parit. Arva iuventus
30. Nuda fodit, tardoque puer domifactus aratro
31. Miratur patriis pendentem sedibus ensem.

32. *My.* Sed procul a nobis infelix gloria Sullae
33. Trinaque tempestas, moriens cum Roma supremas
34. Desperavit opes et Martia vendidit arma?
35. *Gl.* Nunc tellus inculta novos parit ubere fetus,
36. Nunc ratibus tutis fera non irascitur unda:
37. Mordent frena tigres, subeunt iuga saeva leones.

38. *My.* }
39. *Gl.* } Casta fave, Lucina: tuus iam regnat Apollo.

---

2. Cura dapes sequitur, magis inter pocula surgit
3. Et gravis anxietas laetis incumbere gaudet.

Vita.

Natus sum Aloysius Romanus Maciejczyk pridie Kal. Martias anni MDCCCLXXXII in vico Roßberginiensi prope urbem Bythomium in Silesia superiore sito patre Martino matre Ioanna de gente Rogulla, quos praematura morte mihi abreptos esse valde lugeo. Fidem confiteor catholicam. Primis pueritiae disciplinis in schola publica imbutus vere anni MDCCCXCIII gymnasium regium Bythomiense adii. Novem post annos maturitatis testimonio instructus studio philologiae classicae me dedidi, ac primum per tria semestria Vratislaviae, deinde Gryphiae studiis meis operam navavi. Docuerunt me viri doctissimi

Baumgartner, Cichorius, Ebbinghaus, Foerster, Gercke, Hoffmann, Koch, Kroll, Norden, Pernice, Radermacher, Rehmke, Schuppe, Seeck, Siebs, Skutsch, Zacher, Zupitza.

Ad seminaria exercitationesque philologicas archaeologicas historicas aditum benigne mihi permiserunt Gercke, Kroll, Norden, Pernice, Radermacher, Seeck, Skutsch.

Quibus viris omnibus gratias et ago et semper habebo, maximas vero Gerckio, qui inprimis studia mea fovit, Radermachero et Hosio, qui in hoc opusculo conscribendo insigni benevolentia et opera et consilio me adiuverunt.

La 35.50
Camina Einsidlensia.
Widener Library 004800829
3 2044 085 183 143